



**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

II. Comparatur gravitas infidelitatis cum aliis peccatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

iam semel difficultate ex parte motuorum contrariorum. Quod si singas occupationes saltem retardare ab examinanda credibilitate alicuius articuli, cuius fides explicita debita erat tunc directe ex precepto fidei: Respondeo, vix posse hoc in homine Christiano contingere, nisi ex negligentia in addiscenda doctrina Christiana; & rebus, quas debet explicitè scire, & credere, de qua negligentia quando interuenit peccatum mortale, debet pœnitens se distinge aculare, nec sufficit dicere, se peccasse contra fidem, aut non credidisse res fidei: nam ex hoc modo se accusandi Confessarius concipit potius peccatum infidelitatis, quo contra fidei veritatem senserit, quam negligentiam solum in addiscendis rebus fidei, quod est peccatum specie diuersum.

32 *Aspeccatum dubitanti solum de rebus fidei, differat specie à peccato sententis positivè, & absolute contra illam. Respondeo, dupliciter posse illud peccatum dubij contingere. Primo habendo iudicium, quo dicas res illas esse dubias, vel fortasse aliter esse, vel non esse omnino certas, &c. & tunc peccatum videtur esse per se loquendo eiusdem rationis cum peccato sententis absolute contra fidem. Nam eo casu licet non negetur absolute Incarnatio, v.g. vel Eucharistia, sed dubitetur solum de illis; negatur tamen certitudo Incarnationis, vel Eucharistia, quæ certitudo non est minus de fide, quam sit ipsa Incarnatio, vel Eucharistia. Parum autem refert, quod negetur Eucharistia, vel eius certitudo, cum utraq; sit æquæ de fide, & æquæ certa. Dixi, per se loquendo, quia si negatio absoluta articuli haberet aliunde malitiam aliam, eo quod redderet hominem alterius sectæ, & addiceret aliis ritibus contra religionem, vel tolleret vsum debitum rituum debitorum religionis Catholicæ, quam malitiam non afferret mera dubitatio; iam inde possent illa duo peccata differre specie: hoc tamen esset per accidens, vt dixi. Secundò posset illa dubitatio haberi sine iudicio eiusmodi positio et cetero, sed per solum suspensionem assensus imperatam à voluntate formidante, hoc est, mora argumentis, & motibus ab intellectu propositis contra veritatem fidei, vt explicuimus disp. precedenti sect. 4. Et videtur hoc peccatum minus graue esse, quam dissensum rebus fidei, cum solum sit dubium per modum suspensionis. Itaque, si sit, cum deliberatione sufficienti ad mortale, videtur non differre specie à dissensu, quia vt prædicto loco diximus, est æquivalenter dubium positivum: nam licet intellectus non iudicet positivè incertitudinem obiecti, voluntas tamen videtur eam approbare, cum approbet mortua ad formidinem, & eorum intuitu imperet suspensionem assensus: & ideo diximus esse æquivalenter assensum de incertitudine, & formidinem intellectualem, & excludere habitum fidei, quia excludit statum fidelitatis, & denominat hominem infidelem: quare in ordine ad mores, verumque peccatum pro eodem videtur reputari.*

SECTIO II.

Comparatur gravitas infidelitatis cum alijs peccatis.

33 **D**E hoc agit S. Thomas *quæst. 10. art. 3. & infra quæst. 20. art. 3. vbi comparat desperationem ad viam de virtute fidei diuina.*

rationem cum infidelitate, & odio Dei, & quæ 34 art. 2. vbi comparat odium Dei cum infidelitate, & desperatione. Quare operæ pretium erit, hæc omnia simul hoc loco expedire, vt postea non sit nobis necesse in alijs materijs hanc controverfiam repetere.

Itaque S. Thomas in his tribus locis docet, odium Dei ex genere suo gravissimum esse omnium peccatorum, secundo loco ponit peccatum infidelitatis, & tertio peccatum desperationis, quæ tria peccata esse dicie graviora ex genere suo, peccatis contra alias virtutes morales, quia immediatè auerunt à Deo, quem immediatè respiciunt virtutes Theologicae, quibus opponuntur. Addit, desperationem esse magis periculosum peccatum, quam infidelitatem, propter maiora damna, quæ affert. P. Suarez disp. 16. sect. 2. approbat hanc S. Thomæ doctrinam, quam tamen num. 6. dicit intelligendam esse de gravitate ex genere suo: ita, vt gravissimum peccatum intra genus infidelitatis, sit gravius quocunque peccato intra genus peccati contra virtutes morales, & peccatum gravissimum contra charitatem, sit gravius quocunque alio peccato, atque etiam peccato gravissimo infidelitatis. Postea tamen disp. 2. de spes, sect. 2. num. 5. dicit, intra genus peccati contra spem reperiri posse peccatum ali-quod gravius quocunque peccato infidelitatis. Quia nimirum à virtute spei elicitur amor concupiscentiæ erga Deum, vt bonum proprium. Quare odium Dei vt boni proprii, quod directè opponitur illi amori, opponitur etiam spei, & est gravius peccatum ex genere suo omni infidelitate, & hæresi; quia est magis directæ, & formalis auersio à Deo, & quia immediatè attingit Deum, infidelitas verò, solum mediante actu nostro, & denique, quia malitia, seu culpa ipsa est immediatè in voluntate: ergo ea est ex suo genere gravior, quæ per se corrumpit maiorem honestatem voluntatis: sed virtus spei perfectior est, quam fides, saltem vt fides est in voluntate, atque ideo in genere virtutis, vt probauerat disp. 1. sect. 6. quia fides pro vt est in voluntate, non est virtus Theologica, sed moralis, cum non habeat Deum pro obiecto, sed actum credendi Deo: spes verò pro vt est in voluntate, est Theologica, & terminatur ad ipsum Deum. Imò addit habitum fidei intellectualem esse etiam minus perfectum habitum spei; vnde dicto num. 5. concludit, summum peccatum contrarium spei, esse maius maximo peccato fidei contrario; nempe odium illud Dei, quod paulò superius num. 3. explicuerat per has voces: *volens potius in re alia, quam in Deo ponere felicitatem meam: qui actus oriri potest, vel ex ira, vel ex nimio amore creaturarum. Loquendo verò (inquit num. 5.) de proprio actu desperationis, qui non oritur ex odio Dei, sed ex radio, vel ex alia tentatione, ob quam aliquis desistit voluntariè à prosecutione beatitudinis, tanquam à re impossibili, vel nunquam futura, probabile est infidelitatem, & maxime hæresim, esse gravius peccatum tali desperatione, propter rationem D. Thomæ. Hec Suarez.*

P. Hurtado partim hac Suarij doctrina excitatus, partim alijs argumentis, non parum discessit à doctrina S. Thomæ supra adducta. Vnde disp. 69. sect. 3. in primis multa affert contra id, quod S. Thomas dixerat, desperationem esse maius peccatum infidelitate, quoad reparationem, & occasionem respiscendi: eo quod qui desperat, non

Odium Dei ex genere suo est gravissimum omnium peccatorum, secundum peccatum infidelitatis: tertio, desperationis.

non habeat principium, quo frænetur. Quam doctrinam impugnat primò, quia infidelis pauciora habet, quibus auertatur à peccato, quam solum desperans, nam hæreticus caret non solum fide, sed etiam spe, quæ sine fide esse non potest; & insuper caret cognitione intellectuali fidei, quæ eum cohibeat, quam fidei cognitionem retinet Catholicus desperans. Quod maximè locum habet in hæretico negante beatitudinem, aut penas futuræ vitæ: hic enim caret motiuo sperandi, aut timendi, & excludit omnem affectum circa hæc obiecta. Confirmatur, quia solum desperans habet potentiam proximam sperandi: hæreticus autem negans præmium, & penam futuram, habet impotentiam proximam sperandi; cum intellectus non assentiatur motiui sperandi.

35 Secundo arguit, quia posita fide, est distincta difficultas in spe; sunt ergo duæ difficultates superandæ, altera in credendo, altera in sperando: Catholicus autem desperans non habet vincendam nisi vnam, idque facilius, quia per fidem mouetur, & inclinatur; infidelis autem habet duas; ergo difficilius est ei respicientia. Tertio denique, quia ruina totius ædificij à fundamentis ægrius instauratur, quam ruina vnius partis: per infidelitatem autem ruit ædificium spirituale à fundamento, per desperationem verò ruit solum pars ædificij; ergo damnum fidei difficilius reparatur, quam desperationis.

Postea verò *sect. 4.* contra Thomistas docet desperationem ex specie sua obiectiua esse peccatū grauius infidelitate, quod probat argumentis ex P. Suarez supra adductis, quæ latius ponderat; & vrget ex eo, quod fides proit est virtus in genere moris, solum habet honestatem moralem piam affectionis, quæ affectio non est virtus Theologica, sed moralis, cum nō habeat Deum pro obiecto sed honestatem credendi; inde infidelitas proit est peccatum in genere moris, non videtur esse vitium Theologicū sed morale; cum tamen spes in genere moris habeat honestatem Theologicam, & desperatio etiam in genere moris sit vitium Theologicum, & priuans honestate Theologica. Videtur autem Hurtado magis vniuersaliter loqui de desperatione, quam Suarez, qui id non concessit de desperatione orta ex tardio, vel alia tentatione; sed de odio Dei, vt boni nostri, orto ex ira, vel nimio creaturarum amore: quam distinctionem Hurtado non facit, sed loquitur indefinitè de peccato desperationis.

36 Ego non puto, ob hæc argumenta discedendum esse à doctrina S. Thomæ. Et in primis quod attinet ad excessum odij Dei supra infidelitatem, & alia omnia peccata, omnes conueniunt; & ratio est clara, quia charitas est suprema virtutum, & versatur circa summam, & infinitam bonitatem Dei, & per consequens habet summam honestatem obiectiuam, & summam etiam honestatem formalem ex parte sui: quare odium Dei, quod ei honestati aduersatur habet summam inhonestatem, & indecentiam: cum directè, & formaliter, ac expressè recedat à summa bonitate, & honestate. Nam iuxta regulam Aristotelis 8. *Ethic. cap. 5.* approbatam à S. Thoma 1. 2. *quest. 73. art. 4.* In moralibus illud est pessimum, quod optimo contrariatur, quod maximè habet locum in casu nostro, in quo illud optimum affert etiam summum debitum amandi illud bonum, cum sit obligatio amandi illud super omnia: quare tam ex parte boni, quod amandum est, quam ex parte

debiti illud amandi, crescit grauitas odij Dei super omnia alia peccata. Quod tamen intelligo iuxta regulam generalem supra posita ex Suarez, suo. Aliunde enim non videtur repugnare, quod peccatum aliquod infidelitatis, vel alterius vitij in individuo, propter circumstantias grauius, quas habet, sit adeo graue, vt superet aliquod peccatum odij Dei in individuo, quod vel ex passionis nimia, aut vehementi tentatione excolitur aliquantulum, & decreseat eius grauitas. Nam sicut potest aliquis plura, & plura, peccata aliorum vitiorum multiplicando adæquare peccatum, quam aliquis patitur propter vnum peccatum odij Dei, quod commisit, ita possunt tot malitiæ, & circumstantiæ aggregari, & quasi multiplicari in vno aliquo peccato alterius vitij, vt adæquet, & superet penam debitam alicui odio Dei; & per consequens peccatum illud adæquet, vel superabit grauitatem illius odij Dei: nam æqualis, vel grauior pena non correspondet nisi æquali, vel grauiori culpæ. Quamuis autem in perfectione physica non possit supremum infimum attingere infimum supremi, & ideo imperfectissimum aurum, si verè est aurum, sit perfectius perfectissimo argenteo; & imperfectissimus Angelus sit perfectior perfectissimo animali: in moralibus tamen excessus perfectionis physice compensari potest multitudine rerum inferiorum, vel ex aliis circumstantiis, vt latius probauit *dist. 5. de incarnatione sect. 2. n. 21.* sic enim plures monete argenteæ adæquant, & superant in estimatione morali vnam monetam auream; quod potest etiam contingere in hac materia.

Dubitari potest circa hoc ipsum an sicut peccatum odij superat ex genere suo infidelitatem, & omnia alia peccata, ita peccatum non diligentis Deum, quod fit per omissionem amoris debiti, superet ex genere suo omnia alia peccata. Videtur enim eadem esse ratio, cum omisso etiam dilectionis Dei aduersetur charitati, & priuet summam honestate diligendi Deum. Respondeo tamen in primis ad verificandam propositionem vniuersalem, quod peccata contra charitatem sunt ex genere suo grauiora aliis, non esse id necessarium: ad hoc enim sufficit, quod peccatum grauius contra charitatem sit grauius peccato grauius contra alias virtutes: peccatum autem grauius contra charitatem non est omisso amoris debiti, sed odium Dei. Deinde addo, oppositionem contra virtutis perfectionem, facere quidem, quod peccata, ceteris paribus sunt grauiora, non tamen quando cetera non sunt paria: non sunt autem cetera paria, si comparatus, v.g. omisso amoris Dei, cum peccato homicidij: nam est valde diuersus modus oppositionis, cum homicidium opponatur positivè, & contrariè debito iustitiæ, & charitatis erga proximum, omisso autem amoris Dei non ita opponitur charitati, sed omisso, & negativè, quæ est multo minor oppositio ex genere suo: sicut minus aduersatur Petro affirmati Ioannem venisse Romanum, qui negat venisse, quam qui dicit nec ipsum, nec alium hominem venisse, aut potuisse venire, quæ est assertio contraria. Non ergo mirum, quod ex diuersa, & maiori oppositione, cum virtute peccatum peccatum superare omissionem amoris Dei. Adde denique, cum proportionem debitam posse in omissione amoris Dei concedi eundem excessum respectu aliorum peccatorum; nimirum ex genere suo

36
Sententia
Auctoris.

In moralibus
illud est pessimum, quod
optimum contrariatur.

omissio amoris Dei debiti esse grauiorem omissione cuiusvis alterius precepti pertinentis ad aliam virtutem, & hoc propter perfectionem virtutis, cui aduersatur, & maiori debito, quo obligat. Dixi semper, *ex genere suo* quia in individuo ex aliis circumstantiis potest alia omissio grauior esse, v. g. si aliquis omittat pro hac die dilectionem Dei, quam tenebatur hodie exercere, & alius omittat amorem proximi, vel parentum per totam vitam, vel omittat etiam hodie subuenire proximo in extrema necessitate spirituali, & alioquin in aeternum damnando, cui si hodie non subuenit, cras non poterit remedium ei amplius praestari, cum tamen, licet hodie omittatur dilectio Dei debita, & ideo peccetur, cras tamen possit Deus diligere, quae & aliae similes circumstantiae facere poterunt aliquando, quod grauior sit omissio alterius precepti, quam dilectionis diuinae debita.

8; Quod attinet ad excessum illum, quem S. Thomas considerauit in peccato desperationis supra infidelitatem, propter difficultatem reparationem, aduerto, Hurtadum non retulisse fideliter conclusionem S. Thomae, dum §. 5. ponit tanquam tertiam eius conclusionem, *desperatio est maius peccatum infidelitate, quoad reparationem, & occasionem recipiendi*. Nunquam autem S. Thomas dicta *quasi. 20. art. 3.* dixit, desperationem esse *maius peccatum*; sed si consideretur ex parte nostra esse *periculosiorem*: quod quidem, loquendo saltem de possibili, verissimum est, posse aliquod peccatum in se minus graue, esse nobis periculosius, propter occasiones, quas affert ad alia peccata. Imò contingit aliquando, peccatum quod in se est veniale, afferre maius periculum committendi alia mortalia, quam aliud, quod in se est mortale, v. g. nimius affectus ad ludum, cum iactura magna temporis, & honorum fortunae affert magna pericula peritiorum, rixarum, & fortasse blasphemiarum, quam si aliquis omittat Missam vno die festo. Item desertio status religiosi, etiam si absque peccato graui aliquando fiat (vt fieri contingit aliquo, qui vota simplicia in nostra societate emittit, quibus per dimissionem absoluitur) affert tamen plerumque secum non mediocre periculum salutis aeternae ob saeculi occasiones, & ob defectum vberioris gratiae, & protectionis diuinae, quae priuantur non semel, qui postquam miserunt manum ad aratum, retro recedunt, & sunt minus apti regno Dei. Quod tantum periculum non subiret fortasse, qui in ipso statu religioso manens vno die omitteret diuinum officium, à quo peccato celerius ibi resurgeret, & facilius ab illo aliisque peccatis in posterum cauere. Non repugnat ergo peccatum minus graue in se afferre occasiones, & pericula plurius peccatorum, quam aliud, quod in se grauiorem habet malitiam.

39 Porro peccatum desperationis, comparatum cum peccato infidelitatis esse tale, probabiliter satis suadet rationibus S. Thomae. Pro quo aduerte, non debere fieri comparationem hominis Catholici desperantis de propria salute, cum haeretico etiam desperante: tunc enim non compararetur desperationis periculum, cum periculo solius infidelitatis, sed cum periculo infidelitatis, & desperationis simul, quod sine vel maius, vel aequale esset; quamuis & tunc posset fortasse aliquando maius esse periculum, Catholici desperantis, quam haeretici negantis praemia futura.

Card. de Lugo de virtute Fidei diuina.

ta, & ideo non sperantis, vt postea dicam: sed comparatio debet fieri Catholici desperantis, cum haeretico errante circa Eucharistiam, v. g. vel Trinitatem, non tamen desperante de sua salute: sunt enim haeretici plures, imò fere omnes, qui non desperant de salute, imò excedunt praesumptuosè sperantes illam, vel sine meritis, vel certe extra Ecclesiam Catholicam. Quamuis autem sine fide non possint habere actum spei supernaturalem; non tamen peccant peccato desperationis, sed praesumptionis: cum quibus si compareretur Catholici desperans existimari potest in maiori periculo.

40 Prima ratio est, quia videtur S. Thomas, quia Catholicus desperans de salute, non habet motum maximè hominem excitans ad obseruantiam legis diuinae, nempe retributionis spem: amittit etiam magna ex parte motum poenae, cum hanc iam supponat sibi incurrendam, quae duo potissimum cohibent passiones, & concupiscentias nostras, ne in praecipuum nos absque fructu coniciant. Quibus motibus non caret haeticus errans circa Trinitatem: adhuc enim credit, licet non fide supernaturali, praemium, & supplicium futurum, & sperat praemium, & timore supplicij, à vitiis abstinere, prout de facto Iudei eo motu legis onera sustinent: & quamuis haeticus erret aliquando circa aliquod peccati genus, putans, v. g. vlturam, vel fornicationem esse licitas, vel ieiunia non esse obseruanda, & ideo in ea materia libenter peccet: circa alia tamen peccata non errat, & ab iis facilius cohibetur, quam qui spem praemij acquirendi, vel poenae vitandae amittit. Maius ergo periculum labendi in alia crimina affert, per se loquendo, desperatio quam haeresis, vel infidelitas.

41 Secundo possumus aliam rationem addere, quia nimirum errans circa fidem potest euidenter conuinci de credibilitate nostrae fidei, adductis motibus, & argumentis euidentis credibilitatis. Catholicus autem, qui retenta omnino fide, desperat, non ita facile conuinci potest; ipse enim non ideo desperat, quia neget Dei potentiam, vel fidelitatem (alioquin iam esset haeticus) sed quia attenta sua debilitate, & propensione ad peccandum, non credit futurum, quod se ab hoc affectu prauo velit vnquam corrigere, & diuinæ legis obseruantiae difficultatem subire: nec potest euidenti argumento conuinci de falsitate huius existimationis, quae fortasse est vera: facilius ergo via suppetit, conuincendi intellectum errantis circa fidem, quam intellectum desperantis de propria salute absque vilo iudicio erroneo contra fidem.

42 Vnde vltè colligo id, quod paulò ante indicavi, contingere etiam aliquando, quod facilius corrigi possit haeticus errans, circa praemia, & supplicia futura, & ideo desperans, quam Catholicus desperans etiam de propria salute. Nam haeticus ille potest euidentibus argumentis conuinci de credibilitate euidenti nostrae fidei circa praemia, & supplicia futura: quo errore ablatò cessat pariter eius desperatio, quae illo errore nitebatur. Catholicus verò, qui ea omnia credit non ita mouetur iis argumentis ad sperandum, cum desperatio non oriatur ex errore, circa ea obiecta, sed ex apprehensione vehementi proprii periculi orti ex inueterata consuetudine, & affectu ad vitia: ideo dixi non solum comparatione facta inter Catholicum desperantem, & haeticum,

R r s cum,

Haeticus errans circa praemia & supplicia futura, & ideo desperans facilius corrigi potest quam Catholicus desperans etiam de propria salute.

cum, non desperantem, difficiliorem esse respicientiam illius, quam huius: sed etiam facta fortasse comparatione Catholici desperantis, cum heretico desperante, desperatione orta ex iudicio erroneo circa præmia futura: si autem hereticus desperaret, non ex errore, circa beatitudinem à Deo dandam, sed ex apprehensione suorum scelerum, iam, tunc periculum non esse maius in Catholico sed tunc comparatio non esset desperationis vnius, cum infidelitate alterius, sed desperationis vnius, cum desperatione alterius, quæ utraque desperatio esset eiusdem rationis, & ideo non mirum, quod afferret idem periculum, & eandem respicientiam difficultatem.

43
Hurtadi argumenta dissolvuntur.

Ex dictis facile iam erit Hurtadi argumenta supra posita dissolvere. Ad primum, negamus, hereticum pauciora habere, quibus cohibeatur à peccato; nam licet non habeat fidem, & spem, supernaturales, habet tamen iudicium de obligatione servandæ legis, circa quam obligationem non errat: habet item spem præmij, & timorem supplicij quibus cohibetur, & retinetur in observantia legis saltem quoad multa: quæ spes, & timor in Catholico desperante non deseruiunt ad eum finem. Imò licet hereticus erraret circa ipsa etiam præmia futura pro iustis, & ideo videatur deesse illi aliquod motuum, quod Catholicus desperans habet adhuc ad sperandum: aliunde tamen cum solum desperet ex errore circa fidem beatitudinis, de cuius erroris falsitate potest facile convinci, facilius poterit habere plura motiva ad sperandum, quam ille alius Catholicus, quia difficilius poterit persuaderi, ut deponat iudicium de sua futura damnatione, quod est illi motuum desperandi.

44

Vnde ad confirmationem. Respondeo etiam in primis, parum referre, quod Catholicus desperans habeat potentiam proximam ad sperandum, quam hereticus errans circa beatitudinem promissam non habet; si tamen impotentia proxima in heretico facilius tolli possit, adductis motivis veræ fidei, quam possimus Catholicum desperantem inducere ad spem concipiendam. Sic enim experimur etiam difficilius contingere, ut heretici gnari nostræ fidei convertantur, & redeant ad fidem, quam ut gentiles carentes fidei notitia ea audita inducantur ad credendum: & tamen heretici, habent potentiam proximam ad conversionem, quam gentiles non habebant, antequam fidem audirent. Addere tamen possumus, Catholicum etiam desperantem non habere potentiam proximam ad actum spei, quamdiu habet iudicium de sua damnatione futura, cum quo iudicio voluntas sperare non potest, habet tamen potentiam remotam, quatenus potest iudicium illud deponere.

45

Dices iudicium illud esse contra virtutem spei, quæ præcipiens spem, prohibet iudicium illud, quo actus spei impeditur, habet autem Catholicus potentiam proximam cohibendi semper illud iudicium: & ideo dicitur habere potentiam proximam antecedentem ad servandum præceptum spei; quia iudicium illud non est antecedens, sed consequens, seu concomitans violationem præcepti sperandi. Sed contra, quia idem poteris dicere de heretico errante circa beatitudinem, qui quamvis, stante eo errore, non possit sperare: habet tamen potentiam semper proximam antecedentem recedendi ab eo errore, qui error non solum est contra fidem, sed etiam contra virtutem

spei, quæ præcipiens actum spei, sicut obligat ad non habendum iudicium absolutum, de damnatione propria futura, quo iudicio impeditur actus spei, sic obligat ad non habendum iudicium erroneum de beatitudine non futura pro iustis, quo etiam iudicio erroneo non minus impeditur actus spei: quare uterque habet actum proximam ad impediendum illud iudicium, quo impeditur actus spei, & quod ea ratione videtur esse contra præceptum spei.

Ad secundum respondeo esse quidem duas difficultates, alteram ad credendum, alteram ad sperandum, quarum una sola in Catholico restat superanda: sed in heretico etiam non errante circa beatitudinem, non restat nisi una superanda credendi articulum in quo errat; nullam enim habet ad sperandum, cum adhuc in eo statu speret, & quidem cum excessu præsumptionis. Sed etsi erraret circa beatitudinem, minus difficile reduci potest ad sperandum, quam Catholicus desperans, quia facilius convinci potest de falsitate sui erroris, quo ablato non habet difficultatem sperandi, quam illi alteri Catholico desperanti suadeatur, ut deponat iudicium de sua damnatione futura, ut dictum est, quæ difficultas in eo Catholico est tanta, ut sit maior, quam illæ duæ in heretico, quarum una pendet ab alia, quæ ablata, statim cessabit, & non ita difficile auertere potest, sicut in Catholico.

Ad tertium respondeo iacturam fidei esse quidem iacturam fundamenti, quod est fides; esse tamen iacturam talem, ut restituito fundamento, statim sine novis expensis restituantur omnia alia, quia non ceciderant, nisi propter defectum fundamenti, non per desperationis peccatum: sicut si fundamentum domus auferretur simul cum parietibus ei ad hærentibus; reposito postea fundamento reponeretur simul cum eo parietes, sine nova eorum constructione, aut expensis. Sic etiam si arboris radices euellerentur simul cum truncis, & ramis, facilius restitueretur tota arbor in eundem locum, quam si manentibus ibi radicibus abscissus fuisset truncus, qui certe non nisi longiori tempore, & maiori labore, per novum incrementum recuperari posset. Hoc ipsum experientia testatur in eo, qui aliquin probus, & virtutibus plenus decipitur ab hereticis, & perdit fidem: hic enim, ubi primum errorem agnoscit, respicit, & faciliè virtutibus floret, sicut antea, quia contra eas non peccaverat, sed solum contra fidem: sic ergo recuperato fidei fundamento, absque difficultate sperat, quia non peccaverat contra virtutem spei. Sed etsi desperasset eo quod errasset etiam circa articulum remunerationis, adhuc restituito fidei fundamento, & ablato illo errore, statim absque nova difficultate speraret, quia tota iactura spei fuerat, propter iacturam vnius fidei. Catholicus verò qui reiecta fide desperat, habet se sicut arbor cuius sola radix manet in terra, cui difficilius truncus restituitur; habet se sicut domus, cuius parietes destructi sunt, manente solo fundamento, cui maioribus sumptibus parietes sunt denuo construendi, quam si parietes simul fundamento adherentes cum eodem auellerentur, & simul cum fundamento redire possent.

Iam nunc explicanda, & probanda restat altera pars sententiæ S. Thomæ, quæ docet infidelitatem ex genere suo gravius peccatum esse desperatione

ratione. Et in primis ad hominem impugnari potest distinctio illa Patris Suarez de desperatione orta ex radio vel alia tentatione, quam dicebat minus gravem esse quam infidelitatem; & de desperatione continentem odium Dei, ut boni nostri, orta ex ira vel nimio creaturarum amore, quam dicebat esse graviores infidelitate. Hoc, inquam, impugnari potest, quia si quid probant rationes eiusdem auctoris dicta *disp. 2. de Spe, sect. 2. num. 5.* probant etiam, desperationem primi generis graviores esse ex genere suo infidelitate. Quia nimirum desperatio magis immediate attingit Deum, à quo voluntas eo actu recedit, quam infidelitas, in qua voluntas non recedit immediate à Deo, sed ab actu credendi Deo, quem actum non vult habere, sed contrarium: Deinde arguit, hoc ipsum ex eo, quod culpa sit immediate in voluntate; ergo ea est in suo genere gravior, quæ per se corrumpit maiorem honestatem voluntatis: sed virtus spei perfectior est quam fides, saltem ut fides est in voluntate, atque adeo in genere virtutis. Quod argumentum non solum probat de odio secundæ generis, sed etiam de odio primi generis, cum illius etiam malitia sit immediate in voluntate, & per consequens defluat per se honestatem spei, quæ est in voluntate, & quidem spei Theologicæ, cuius habitus à voluntate expellit, qui est habitus Theologicus in voluntate; cum tamen habitus pietatis affectionis, quem à voluntate expellit infidelitas non sit habitus Theologicus prout est in voluntate in genere virtutis. Argumenta ergo de utriusque generis odio probant maiorem gravitatem in genere peccati, quam sit peccatum infidelitatis.

Facilius ergo absque ulla distinctione dicimus cum S. Thoma, infidelitatem ex genere suo esse gravius peccatum desperatione, & quidem infidelitatis gravitatem maximam probat bene inde Suarez *disp. 16. sect. 2. num. 2.* ex Augustino *tract. 85. in Ioannem*, & *lib. 3. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 30.* dicente, peccatum absolute dictum, intelligi per antonomasiam de peccato infidelitatis, & in hoc sensu accipienda verba Christi Ioannis 15. *Si non ovissem, peccatum non haberent.* & illa alia verba cap. 16. *arguer mundum de peccato.* & quia infidelitas constituit hominem in eo statu, in quo nullum meritum etiam de congruo exercere potest, & innumera peccata, & vitia secum affert, auferens principium totius iustitiæ, quæ est fides.

Explicitur
gravis in-
fidelitatis.
Vt hanc autem infidelitatis gravitatem magis à priori explicemus, & simul respondeamus argumentis contrariis, quæ supra ex Suariorum, & Hurtado reculimus, recolenda sunt, quæ diximus *disp. 10. sect. 3.* ubi explicuimus, actus reflexos imperantes alios actus directos ob eorum honestatem, non indigere alio habitu reflexo, sed elici ab habitu infuso directo eiusdem virtutis, quia æquivalenter versator circa idem motuum. Quod idem multo magis dicendum est, de actibus reflexis imperantibus actus directos alicuius vitij: unde actus imperans odium Dei, habet æquivalenter malitiam odij Dei, cum velit prosecutionem illius obiecti. Dixi verò id magis procedere in actu reflexo imperante actum malum, quam imperante actum bonum; quia ad honestatem formalem non sufficit velle obiectum bonum, nisi ipsa bonitas sit etiam motuum formale voluntatis; quare actus reflexus

imperans amorē Dei, propter honestatem ipsius amoris, licet velit mediare obiectum amoris Dei, quatenus vult efficaciter voluntatem efficacem illius obiecti, non tamen habet formaliter honestatem amoris Dei, quia non habet idem motuum formale, quod habet amor Dei nempe bonitatem infinitam Dei, sed motuum formale actus imperantis, est bonitas amoris Dei, quæ non est bonitas increata, sed creata, & finita. At verò ad contrahendam malitiam vitij non est opus habere illam pro motuo formali, sed sufficit eam directe, vel indirecte, velle, saltem ut obiectum materiale; unde qui vult efficaciter, & imperat sibi actum odij Dei, eo ipso in actu ipso imperij contrahere videtur aversionem à Deo, quam secum affert actus odij, quam aversionem vult saltem mediare per illud imperium; licet fortasse non sit motuum formale, sed solum obiectum materiale, directe, vel indirecte volitum: sicut qui imperat sibi voluntatem efficacem luxuriæ, vel actum invidiæ, contrahit in ipso imperio malitiam luxuriæ, vel invidiæ.

Ex hac autem doctrina inferitur licet voluntas credendi non sit formaliter virtus Theologica, propterea præcisè consideratur in voluntate, quia non habet pro motuo formali veritatem Dei nec aliquid divinum; sed honestatem credendi Deo: voluntatem tamen contrariam dissentienti Deo, dici posse vitium Theologicum; quia vult immediate averti à Deo per dissentium hæreticum, quo homo avertitur formaliter, & immediate à veritate Dei, quam negat: quare voluntas illa imperans aversionem formalem intellectualem à Deo, contrahit malitiam eiusdem rationis cum malitia formali, quam contraheret ipse dissentus erroneus intellectualis, si esset liber: sicut voluntas efficax odij Dei contrahit malitiam ipsius odij Dei. Cum ergo ipsa infidelitas intellectualis sit vitium Theologicum, & contraheret malitiam formalem intrinsecam Theologicam, si esset intrinsecè libera, eo quod sit formalis, & immediata avertit à Deo, & eius veritate: consequens est, ut voluntas eiusdem infidelitatis contrahat etiam malitiam formalem Theologicam, atque adeo sit non solum vitium morale, sed etiam Theologicum, hoc est avertens à Deo immediate, seu volens aversionem immediatam à Deo & eius veritate: sicut etiam desperatio, & odium Dei, sunt vitia Theologica propter eandem rationem, quatenus involuntarie aversionem immediatam hominis à Deo.

Quo supposito, verisimile valde sit, quod ex genere suo gravior sit malitia infidelitatis, quam desperationis: utraque enim avertit hominem à Deo immediate: cum hoc tamen discrimine, quod desperatio avertit nos à Deo, quem debemus sperare nobis, ut bonum nostrum, atque adeo affectu minus nobili, quo magis Deus ad nos refertur, quam nos ipsi ad Deum, ut videbimus agentes de virtute spei. Infidelitas verò avertit nos à veritate Dei, quam per fidem debueramus amplecti sine respectu ad nostrum bonum aut commodum, sed propter infinitam Dei veritatem; quæ tendentia eò videtur nobilior, quod magis est ingenua. Quæ rationem breviter indicavit S. Thomas dicta *quæst. 20. artic. 30. in corpore* dicens: *Ex quo patet, quod infidelitas, & odium Dei, sunt contra Deum, secundum quod in se est: desperatio autem, secundum quod eius bonum participatur à nobis: unde maius pec-*

catum est, secundum se loquendo, non credere Dei veritatem, vel odire Deum, quam non sperare consequi gloriam ab ipso. Quia nimirum magis conuertimur ad nos ipsos, & ad nostrum bonum per spem, cum tamen per fidem, & charitatem conuertamus nos ad solum Deum, & amplectamur eius veritatem, & bonitatem infinitam, quod magis constabit ex solutione argumentorum.

52
Obiectio 1.

Ex dictis enim solui iam possunt, quæ P. Suarez obicit loco supra citato. Primum enim dicebat, odium Dei, quod opponitur amoris concupiscentiæ elicitum ab habitu spei, esse magis directam, & formalem auersionem à Deo, quam infidelitatem. Ad quod respondere possumus, quidquid sit, an amor ille concupiscentiæ erga Deum, ut bonum nostrum eliciatur ab habitu spei, an ab alio diuerso, de quo dicemus suo loco agentes de virtute spei: pro nunc negari posse, esse grauiorem auersionem ex genere suo in illa fuga opposita spei, quam sit in infidelitate: nam fuga desperationis non oritur ex eo, quod obiectum sit malum, imò ut ibi videbimus, desperatio non potest esse, nisi de obiecto bono, quod amamus, & à quo recedimus, non quia sit malum; sed quia nobis ut impossibile, vel difficile proponitur. Unde qui desperat, non proficitur implicite in Deo aliquid mali; sed potius magnum bonum, ob quod eum amat: sed propter difficultatem, vel impossibilitatem saltem consequentem, quam apprehendit, tristis, & quasi fugatus recedit à bono amato. Infidelitas verò recedit à Deo impingens Deo virtualiter saltem defectum intrinsecum falsitatis; dum negat vel Deum esse veracem, vel saltem esse vera, quæ sufficienter proponuntur, ut reuelata à Deo: quæ auersio ex genere suo inuoluit maiorem iniuriam, & irreuerentiam in ipsum Deum.

53
Obiectio 2.

Secundò arguebat: quia actus ille odij, seu desperationis immediate attingit Deum, infidelitas verò, non nisi mediante actu nostro. Respondeo ex dictis, in primis infidelitatem intellectualem esse auersionem immediatam à veritate Dei, quam explicitè, vel implicitè negat, & quidem cum maiori irreuerentia erga Deum, quam sit in recedente per desperationem à Deo propter difficultatem, quem nisi amaret non desperaret, ut diximus, neminem enim desperat de malis, quæ nollit: Deinde ipsa etiam voluntas precedens dissensum erroneum, licet non habeat pro obiecto immediatè volitò aut nolito Deum, sed dissensum intellectualem; contrahit, ut diximus malitiam auersionis immediatè intellectuales, quam haberet dissensus ipse erroneus, si esset liber; sicut voluntas reflexa odij Dei, licet non attingat immediatè Deum, sed mediante actu odij quem imperat, contrahit malitiam odij Dei, ad quam contrahendam sufficit attingere obiectum odij, mediante odio volitò.

54
Obiectio 3.

Tertiò arguebat, quia illa est grauior culpa, quæ per se corrumpit maiorem honestatem in voluntate: nam culpa est immediatè in voluntate: sed maior est honestas spei, quam fidei in voluntate: nam spes in voluntate est virtus Theologica, qualis non est fides, proptèr est in voluntate, cum pia affectio credendi non sit in voluntate virtus Theologica, sed moralis; ergo ex genere suo grauior est culpa desperationis, seu odij oppositi amoris concupiscentiæ erga Deum, quam sit culpa infidelitatis. Ad hoc argumentum in primis iam supra vidimus, probare etiam maiorem

grauitatem in desperatione, quæ non oritur ex odio Dei, sed ex odio, vel ex alia tentatione, cum hæc etiam corrumpat in voluntate honestatem spei Theologicæ: quam tamen maiorem grauitatem supra infidelitatem non cōcedit Suarez de eiusmodi desperatione orta ex odio, omnes ergo debemus agnoscere in ipsa voluntate infidelitatis maiorem grauitatem, quam in desperatione aliqua, quæ corrumpit honestatem Theologicam spei in voluntate. Quare ad obiectionem respondemus, licet virtus fidei, proptèr est practice actus voluntatis, non habeat actus Theologicos, esse tamen ex genere suo maiorem honestatis, quam sit spes, & infidelitatem etiam proptèr est in voluntate esse grauius peccatum. Quia ad honestatem, & inhonestatem virtutis & vitij, non attenditur solum, an actus sit formaliter Theologicus, sed etiam an sit Theologicus ex obiecto, hoc est, an afferat honestatem, vel inhonestatem Theologicam obiectum. Nam dignitas virtutis Theologicæ, & grauitas vitij oppositi, prouenit ex eo, quod vnit immediatè cum Deo, vel auerit immediatè à Deo. Quando ergo bonitas obiectiua est vni ipsa immediatè cum Deo, & malitia obiectiua est auersio ipsa immediatè à Deo, id sufficit ad refundendam maiorem honestatem, vel grauiorem turpitudinem in actum voluntatis ex genere suo. Quod de fide respectu in voluntate credendi, & in voluntate infidelitatis: nam licet neutra voluntas feratur formaliter immediatè in Deum, & ideo non sit formaliter Theologica; obiectum tamen vtriusque est vni immediatè cum Deo, vel auersio immediatè à Deo, qua intellectus immediatè amplectitur diuinam veritatem, vel immediatè ab ea aueritur. Quare obiectum vtriusque voluntatis est Theologicum in ratione obiecti, & per consequens refundit bonitatem, vel malitiam in voluntatem, proinde ac si ipsa voluntas esset Theologica, quia bonitas, vel malitia voluntatis desumitur ex conditione ipsius obiecti. Unde fides merito appellatur communiter virtus perfectior, & dignior, quam sit spes: quod quidem abique distinctione Theologi communiter affirmant, non distinguentes de fide, proptèr est in intellectu, vel proptèr est in voluntate, sed absolute id affirmant de virtute fidei, quia nimirum vtriusque excellentiam considerant, ex vniōe immediata, qua hominē cum Deo coniungit, quatenus actus spei, coniungit immediatè hominem cum Deo, ut obiecto sperato, & motiuo sperandi; fides verò proptèr est in intellectu, coniungit hominem cum diuina veritate, & proptèr est in voluntate, vult illam coniunctionem immediatam intellectus, cum veritate diuina: quæ coniunctio ut supra diximus, perfectior est ex genere suo, quam sit coniunctio, quæ sit per actum spei. Negamus itaque actum desperationis corrumpere per se maiorem honestatem, quam actum infidelitatis: hic enim ex genere suo priuat maiorem honestatem obiectiua, nempe perfectiori coniunctione cum Deo, & affert grauiorem auersionem obiectiua à Deo; vnde etiam corrumpit ex genere suo maiorem honestatem formalem, nempe voluntatem perfectioris coniunctionis immediatæ cum Deo, quo sensu sustineri potest satis verisimiliter sententia, & doctrina S. Thomæ, quæ est communis aliis Theologis.

Tria tamen obseruanda sunt circa hanc communem doctrinam. Primum est, hunc excessum graui

grauitatis semper debere intelligi, vt monuimus ex genere suo: potest enim cōiungere, vt in indiuiduo propter alias circūstantias aggrauantes homicidium, v.g. hoc sit grauius, quā aliquod peccatum infidelitatis in indiuiduo: si quis v.g. occideret summum Pontificem sanctissimum, & à cuius vita maximè dependet bonum totius Ecclesiæ & hoc sine causa; sed ex mera malitia, & odio, quis neget hoc peccatum in indiuiduo, grauius esse, & maiori pœna puniendum, quā heresim illius, qui vt suo domino placeret, hæreticus ad breue tempus factus est, & statim resipuit & ad fidem Catholicam rediit. Debent ergo in hac comparatione cætera esse paria, quoad durationem, intensionem, libertatem, & alias omnes circūstantias: alioqui comparatio præcisè de sumpta ex nobiliori virtute, cui peccatum aduersatur, sæpius fallere poterit. Quod à fortiori locum habebit, si peccata contra fidem facta ex ignorantia etiam culpabili comparentur cum peccatis alterius generis; cum circūstantia ignorantia multum diminuat peccati grauitatem. Quin imo verisimile satis est, quod cum aliis dixit Suarez *Disput. 16. sect. 2. num. 6.* non solum in indiuiduo, sed etiam in specie contingere quod grauius sit peccatum aliquod, quā aliud peccatum contentum sub genere perfectiori, v.g. fornicatio ex specie sua est grauior culpa, quā sit furtum ex specie sua, vt fateretur S. Thomas *infra quest. 154. art. 3.* & tamen furtum opponitur iustitiæ, quæ est dignior virtus ex genere suo, quā temperantia, cui opponitur fornicatio. Quod etiam in perfectione physica verum existimo, vt suppono ex philosophia, & fatetur Suarez *loco citato.* Nam genus viuientis secundum se nobilior est, quā non viuientis; & tamen fungus ex specie sua minù perfectus videtur, quā sit Sol ex specie sua, qui certè superat fungum in aliis multis prædicatis nobilioribus. Quamuis quoad hoc, vt verum fatear, potest fortasse esse questio de nomine: nam excessus ille potest dici provenire non ex specie, sed ex alio etiam genere nobiliori, sub quo est illa species, v.g. excessus Solis supra fungum provenit ex genere incorruptibilem, sub quo est Sol, quod genus ex se nobilior est, quā corruptibilem, sub quo est fungus; atque ideo Sol non est solum perfectior fungo ex specie sua, sed ex genere suo, nempe ex genere incorruptibilem, & fungus nō est solum imperfectior ex sola specie sua, sed ex genere corruptibilem, & facile defectibilem, & parum actiuorum, &c. sic etiam fornicatio non solum ex specie sua est grauior furto, sed ex genere suo, quod est versari circa bona corporis, quæ ex genere suo sunt nobiliora, quā bona fortune, circa quæ versatur furtum; quod ideo etiam est leuius ex genere suo, quā fornicatio, & sic de aliis similibus exemplis dici posset; de re tamen ipsa nobis sufficit, quod sub aliquo genere ignobiliore, possit reperiri aliqua species nobilior, quā sit species contenta sub alio genere nobiliori; siue hæc maior perfectio proveniat illi, ex ratione specifica, siue ex alio genere nobiliori disparato, sub quo continetur eadem species: hoc enim ad propositum parum refert.

56 Secundò obseruandum est, comparisonem non fieri inter fidelem peccatorem, & infidelem: fortasse enim grauius punitur peccator fidelis, quā infidelis, vt dixit Urbanus Papa relatus

in cap. *scimus 12. quest. 1.* sed comparari solum peccatum infidelitatis, cum quolibet alio peccato & in hoc sensu dicimus, peccatum infidelitatis infidelis hominis esse ex genere suo grauius quolibet alio peccato; quod nō sit odium Dei: cætera tamen peccata, v.g. fornicatio, furtum, &c. hominis fidelis frequenter grauiora sunt, quā eadem peccata commissa ab infideli, propter maius lumen, quod fidelis habet, & maiorem obligationem non peccandi: vnde fit, quod postea grauius punitur, quā infidelis: non quod furtum fidelis grauius punitur, quā infidelitas, sed quia cætera peccata, quæ plura sunt, grauius puniuntur in homine fidei, quā hæc eadem in infideli, & ideo sæpe omnibus pensatis maiorem pœnam habeat fidelis damnatus, quā infidelis.

57 Tertiò obseruandum est, sicut suprà diximus excessum odij Dei super omnia alia peccata non arguere, quod etiam omisso dilectionis Dei debita ex præcepto charitatis excedat omnia alia peccata, excedere tamen ex genere suo omissiones peccaminosas aliorum præceptorum: sic etiam cum proportionem idem dicendum esse, de omissione fidei debita nō excedere quidem grauitate alia peccata, quādo est mera omisso actus fidei, qui eo tempore debebat elici, & non est etiam interpretatiue infidelitas: excedere tamen ex genere suo peccata omissionis contra alia præcepta, præter omissionem dilectionis Dei, quæ est contra præceptum charitatis. Quod idem cum proportionem dicere possumus de dissensu positivo contra fidem orto ex ignorantia, excedere quidem ex genere suo, & cæteris paribus, peccata ex ignorantia, quæ sunt contra alia præcepta, excepto semper peccato ex ignorantia, contra charitatem Dei: quæ omnia ex supradictis facile constant, nec indigent alia probatione.

58 Vna solum restare potest difficultas contra totam hanc doctrinam, quia licet infidelitas, quæ aliquis negat Deum esse summè veracem, auertat immediatè hominem à Deo, negando eius veritatem infinitam, & intrinsecam; alij tamen dissensus hæretici non negantes Dei veritatem, sed eius reuelationem; nimirum quod de facto Deus reuelauerit Eucharistiam, vel quid simile, non videntur euertere hominem immediatè à Deo, sed à creatura, nempe à reuelatione, quam negant, & quæ est aliquid extrinsecum Deo. Non ergo apparet vnde hæc infidelitas habeat tantam grauitatem, quæ superet grauitatem aliorum peccatorum saltem ex genere suo, & cæteris paribus. Ad hoc tamen iam diximus suprà, non solum auerti à veritate Dei eum, qui credit Deum non esse veracem, sed etiam eum, qui credit falsa esse, quæ debet Deo reuelanti credere. Quod idem cum proportionem inuenitur in odio Dei, & in desperatione, per quæ etiam peccata auertitur homo immediatè à Deo. Ad odium enim auertens à Deo, non requiritur, quod apprehendatur in Deo non esse bonitas infinita, aut aliquid esse malum intrinsecum Deo: nam hæc iam esset hæresis manifesta, sine qua certum est posse committi peccatum odij Dei: vnde nec requiritur, quod voluntas auertatur à Deo, quia Deus malus est in se: sed sufficit apprehendere Deum, vt malum nobis propter mala nobis inflata, propter quæ voluntas odit Deum, propter de facto odio habent damnati, propter tormenta, quæ ab ipso patiuntur: iam enim auertuntur per actum contrarium ab infinita bonitate Dei. Sic etiam Catholicus desperans,

desperans, non apprehendit Deo deesse fidelitatem, omnipotentiam, misericordiam, &c. nec ideo desperat, sed apprehendit difficultatem magnam ex parte sua, quam non credit de facto superandam auxiliis Dei, licet non neget posse superari; & hoc sufficit, ut auertatur à Deo per actum contrarium, desperando Deum, quem deberet sperare. Similiter ergo hæreticus, licet non neget, Deum esse veritatem infinitam; dissentit tamen iis, quæ Deo deberet credere, & ideo auertitur ab infinita veritate Dei per actum contrarium dissentiendo iis, quæ propter diuinam veritatem deberet credere. Auerti ergo à Deo per actum contrarium, non est solum negare in Deo esse perfectiones illas, quæ sunt motuum amandi, sperandi, aut credendi, aut propter defectum illius motui increati dissentire, desperare, vel odio habere; sed sufficit, per actum contrarium resistere illis motuius increatis: hoc sufficit ad excessum illum grauitatis, quam hic recessus immediatus à Deo habet ex genere suo super omnia alia peccata: quatenus per hæc tria peccata recedit homo immediate ab ipso Deo.

59 Dices, qui odio habet proximum, quem deberet diligere propter Deum, non ideo dicitur odio habere Deum, propter quem diligendus esset proximus: ergo qui negat veritatem reuelatam, quam propter Dei veritatem deberet credere, non ideo dicitur immediate recedere à veritate diuina, quam quidem non negat; sed solum Dei reuelationem, sine qua credi adhuc potest infinita Dei veritas. Respondeo negando consequentiam: excessus enim infidelitatis, desperationis, & odij Dei super alia omnia peccata, quem Theologi considerant, prouenit ex eo, quod per hæc tria peccata homo auertit se directè, & immediate à Deo, ut dixit S. Thom. *dist. 20. art. 3.* & alibi sæpe. Hæc autem auersio seu fuga, cum sit intentionalis, pertinet ad intellectum, & ad voluntatem. Voluntas ergo recedit, & fugit per affectum fugæ, qui opponitur prosecutioni: fugit verò voluntas dupliciter obiectum; primò quia malum est, & hic est affectus odij; secundò non quia malum est, sed quia impossibile, vel difficile apprehenditur; & hic est actus desperationis, quo voluntas recedit ab obiecto bono, non tam fugiens, quam fugata ab ipso obiecto voluntatem à se repellente, ut latius explicabitur Deo dante *in tract. de spe*. Vtrouque ergo modo voluntas recedit directè, & immediate per actum posituum à Deo, nempe per odium Dei, quo fugit Deum tanquam malum, vel in se, vel certè ipsi homini: atque etiam per desperationem, quia recedit etiam directè à Deo, non quia malus sit, sed quia eius assequutio difficultate sua deterret, & quasi fugat voluntatem; quæ licet non tam fugiat, quam fugetur, recedit tamen, difficultate depressa, auertit se à prosecutione summi boni, seu Dei; qui etiam est recessus directus, & immediatus à Deo, ut bono nostro. Intellectus autem non habet alium modum recedendi, seu auertendi se, & fugiendi posituè ab obiecto, nisi per dissensum: nam sicut per assensum amplectitur obiectum, ita per dissensum ab eo posituè fugit.

Hic tamen dissensus potest esse duplex, nempe formalis, & expressus, vel virtualis, & æquivalens: Primo modo recedit intellectus à Deo negando expressè eius veritatem, qui est pessimus actus infidelitatis, quo homo se auertit immedia-

tè, & expressè ab infinita veritate Dei. Secundo modo recedit intellectus ab eadem Dei veritate, negans id, quod sufficienter proponitur reuelatum à Deo, & quod propter diuinam veritatem deberet credi. Qui etiam est recessus directus, & immediatus à veritate Dei, licet non sit formalis, sed virtualis; quia negare esse verum id quod proponitur, ut dictum à Deo, & quod propter Dei auctoritatem debet credi, est virtualiter negare veritatem Dei, quia negat veritatem creatam, sine qua in his circumstantiis Deus non potest esse verax: unde æquivalenter negatur veritas Dei: & ideo S. Thomas *dist. 2. quest. 20. art. 3.* simpliciter, & absolute dixit, quod per infidelitatem, homo ipsam Dei veritatem non credit: quia nempe dicit non esse verum id, quod credere debet, dictum esse à Deo. Fator hinc æquivalentiam, qua dicimus, negantem articulum reuelatum, negare virtualiter Dei veritatem, non fundari in mero debito physico ipsius intellectus, sicut qui negat conclusionem, quæ euidenter sequitur ex præmissis, cogitur necessario ad negandam præmissam aliquam, nec potest physice intellectus, si attendat ad illationem, & connexionem, negare conclusionem assentiendo utrique præmissæ: in casu autem nostro potest quidem intellectus, saltem imprudenter assentiri veritati Dei, & negare articulum reuelatum, negando esse à Deo reuelatum. Dicitur tamen virtualiter negare veritatem Dei, propter necessitatem partim physicam, partim ex debito morali, qua negato articulo debet negare veritatem Dei. Quia nimirum videt esse obligationem credendi, illam esse reuelationem Dei, qua reuelatione Dei concessa, prodest obligatio illam concedendi, cogitur iam physice intellectus, negato articulo reuelato, ad negandam veritatem Dei, cum qua posita reuelatione, habet connexionem necessariam veritas articuli reuelati: & ideo dicitur æquivalenter, seu virtualiter, dissentiendo articulo, negare veritatem Dei reuelantis.

Vnde constat iam differentia inter odium proximi, qui deberet amari propter Deum, & dissensum articuli, qui deberet credi, propter veritatem Dei. Nam qui negat articulum fidei, habet dissensum, qui eum cogit necessitate, partim physicam, partim ex debito morali, ad negandam veritatem Dei, qui est intellectualis recessus, & auersio immediata, saltem virtualis, & æquivalens ab ipsa veritate Dei, & perinde se habet æquivalenter, ac si diceret Deus non est verax. Qui verò odio habet proximum, non habet vllum actum, qui eum cogat necessitate physica, vel orta ex debito morali, ad odium formale, vel ad desperandum Deum; sed solum cogitur ad non diligendum Deum super omnia, durante illo odio proximi, quatenus in dilectione Dei super omnia continetur implicitè dilectio proximi propter Deum. Non tamen cogitur physice ad habendum odium Dei, ut constat: nec etiam cogitur ex debito morali, cum non habeat præceptum habendi aliquem actum, ex quo, durante odio proximi, cogatur ad habendum odium ipsius Dei: ideo odium proximi non est auersio directæ à Deo, & immediata: dissensus verò articuli reuelati, est saltem virtualiter auersio immediata saltem virtualis ab ipsa veritate Dei.